

**Sacerdos infundit vinum, postea aquam  
miscendam in Calice benedicit, dicens:**

**D**EUS, ✠ qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti (*et infundens parum aquæ in Calicem, prosequitur*): da nobis per huius aquæ et vini mysterium, eius divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Iesus Christus, Filius tuus, Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

**Sacerdos lavat manus, id est extremitates  
digitorum pollicis et indicis, dicens:**

**L**AVÁBO inter innocéntes manus meas: et circumdabo altáre tuum, Dómine:  
Ut áudiam vocem laudis, et enárrem univérsa mirabilia tua.  
Dómine, diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ.  
Ne perdas cum ímpiis, Deus, ánimam meam, et cum viris sánguinum vitam meam:  
In quorum mánibus iniquitátes sunt: dextera eórum repléta est munéribus.  
Ego autem in innocéntia mea ingressus sum: rédime me, et miserére mei.  
Pes meus stetit in dirécto: in ecclésiis benedícam te, Dómine.  
Glória Patri, et Fílio, et Spirítui Sancto.  
Sicut erat in princípio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen.

INITIUM  
SANCTI  
EVANGELII  
SECUNDUM JOANNEM



**I**N principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est: in ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. (*Hic genuflectitur*) ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.